



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Sectio Prima. Explicantur censuræ Theologicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

DISPUTATIO III.

De peccato violantium Decreta.

SECTIO I.

Explicantur Censurae Theologicae.

SUMMARIUM.

Censura, nisi aliud exprimitur, cadit tantum in opinionem, n. 1.

S. Aug. dictum, ibid.

Inanitus T. T. qui ex ignorantia docuere erronea, n. 2. 3.

Dictum M. Cani, n. 4.

S. Aug. quid de parvulis senserit, ibid.

Quilibet est doctissimus errare potest, n. 5.

Nullum docens, etsi aliquis damnatus docuerit, n. 6.

Quam belle S. Augustin. excuset S. Cyprianum, ibid.

Egregium dictum M. Cani, n. 7.

Nulli insultandum, etsi errarit, ibid.

Nulli est summo Ecclesiae Doctore in omnibus standum, n. 8.

Dictum Alphonsi de Castro, ibid.

Quid S. Augustinus dicat de Authoribus non Canonicis, ibid.

Alex. VIII. damnat standum in omnibus August. non respectu Pontificis Bulla, ibid.

Sape plura falsa DD. tribuuntur, n. 9.

Censura, quibus Papa damnare solent opiniones, n. 10.

DD. explicantes censuras, ibid.

Quae opinio dicatur digna censura Theologica, n. 11.

Expono species censurarum, n. 12. ad 17.

Egregium dictum Caietani de D. Thoma sapientia, & modestia, n. 15.

Laudatur M. Godoy, ibid.

Modestia, indicium exquisiti intellectus, ibid.

Censurarum gradus, quae maior, quae minor, quae maxima? n. 17.

N. 1.

CERTUM mihi est, quod quoties a Papa censuratur aliqua propositio aut liber, nisi aliud exprimitur, censura praecise cadit supra propositionem, non supra Authorem, ut recte P. Ovid. Contr. 12. de Fide pun. 4. n. 57. & ideo acutè dixit S. Augustinus apud M. Gravinam, Errare potero, haereticus non ero; & potest quis esse optimus Catholicus, & tamen ex ignorantia docuisse propositionem haeticam, ut accidit

Michaeli Baio, contra quem stat Decretum Urbani VIII. confirmantis Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. damnans septuagintanovem propositiones ejusdem Baij, illudque adducit P. Arfdekin tom. 1. p. 2. a pag. p. Arf. 447. editionis quintae Antuerpiensis, & 1. dekin. Ripalda tom. 3. in aureo contra Baium opere. P. Rip.

Idipsum pluribus SS. Patribus, & primae N. 2. notae Theologis accidisse certo certius est, ut Mag. constat brevi paucorum inductione; nam Magister in primum dist. 17. voluit charitatem non esse nisi Spiritum S. non tantum causaliter, sed etiam formaliter, ut exponit D. Th. qu. 23. art. 2. D. Bonav. in 1. dist. 17. p. 1. qu. 1. Scotus in 1. dist. 17. qu. 3. n. 30. quae tamen sententia repugnat non tantum certe Theologorum sententiae asserenti

charitatem esse qualitatem infusam, sed etiam Tridentino sess. 6. cap. 7. Idem Magister, seu Petrus Lombardus, (de quo plura P. Henao tom. 3. de Sacrifi. Missae ad finem pag. mibi 528) idem, inquam, qui in Academia Parisiensi Doctoris Theologiae lauream est consecutus, & ab eo primum accepit Theologia fundamentum, in 2. dist. 31. & Gabriel

ibid. docuit, peccatum originale esse morbidam qualitatem animae infusam; quae tamen opinio judicatur omnino improbabilis. Altifiodorensis lib. 3. Sum. tr. 5. cap. 5. & Dionyl. Carthus. in 1. dist. 17. qu. 9. putarunt habitum charitatis minui per venialia; quae tamen opinio ab omnibus rejicitur; nam venialia dispositivè tantum minuunt, quatenus disponunt ad mortale, quo tollitur habitus charitatis, non autem formaliter. Petrus de Aliaco in 1. quest. 12. art. 5. dub. 3. §. 55. & Adam Goddam in 3. dist. 14. qu. 5. dub. 2. Adam videntur docuisse, Deum, absolute loquendo, posse mentiri, cum tamen oppositum sit de fide. Gerson docuit solum Deum obliga-

re in conscientia: qui tamen loquendi modus rejicitur ab omnibus T. T. docentibus leges humanas, tam civiles, quam Ecclesiasticas, obligare in conscientia: idem docuisse videtur S. Bernardus, (ait Caram. non rectè in Apolog. n. 273.) dum dixit praeceptum Ecclesiasticum non violari, nisi per contemptum, & tamen hodie certum est violari posse mortaliter, secluso omni contemptu. Gabriel in 3. dist. 10. referente Magistro Medina in 3. p. qu. 23. docuit, praescitos existentes

flentes in gratiâ, non esse filios adoptivos Dei; quæ tamen sententia est temeraria, & hæretica. Richardus Mediavilla apud M. Mart. de Prado de Pœnit. pag. 639. n. 7. sentit, non esse licitum confiteri peccata semel confessâ, saltem sola; quæ tamen opinio dicitur à Caietano falsâ, & improbabilis, & opposita est certa, ait P. Suar. Franc. Sylvius in Universitate Duacensi Decanus (eximius Thomista, ita eum laudat M. Mart. de Prado l. c. pag. 493.) docuit 2.2. qu. 23. art. 2. pag. 123. & alibi, contritioni perfectæ non semper adjungi remissionem peccati, quæ tamen doctrina est periculosa, & parum tuta in fide, temeraria, & scandalosa, & damnata in Baio, ait idem M. Mart. n. 8. B. Alb. Magn. in Mariali cap. 69. judicasse videtur, quod Deipara S. Joan. Euang. confessâ fuerit, juxta celebre dictum S. Gregorij, *Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est*; & cap. 70. dixit tantum gratiæ per confessionem meruisse, quantam hætenus non meruerat. Ita B. Alb. citatus à Caram. lib. 3. Theol. Mor. Fund. pag. mihi 68. n. 3039. quem tamen excusat M. Mart. l. c. pag. 641. Joan. de Medina de Confess. qu. de modo secreto confitendi pag. 64. Adrianus in 4. de Confess. qu. 1. Navar. Paludanus, Sylvester, & alij docuere absolutionem dari posse scripto, cum tamen S. Thom. in 3. p. qu. 84. art. 3. & P. Suar. de Pœnit. d. 19. sect. 1. oppositam vocent certam, & priorem plerique T. T. vocent improbabilem, & temerariam. Caietanus, ut fatetur M. Baron. 3. p. *Mandatum d. 2. sect. 4.* Defensio Eucharistiæ pag. mihi 257. docuit, quod qui credit se habere contritionem, etsi conscius sit mortalis, & habeat copiam Confessarij, possit recipere Eucharistiâ, & non teneri, etsi habeat copiam Confessarij, ex præcepto confiteri; quod tamen à Tridentino sect. 13. de Decreto Euchar. cap. 7. reprobat; etenim Ecclesiæ praxi constât, quod Eucharistiæ sumptioni confessio mortaliū sit præmittenda, ut rectè Neuss. d. 1. n. 30. & ideo Caietani opinionem M. Catharinus citatus à P. Henao tom. 3. de Sacrif. Missæ d. 29. n. 42. vocat periculosam: & M. Cano Relezione 5. de Pœnit. pag. 162. dicit non probabilem; immo subdit rem notatu dignam: *Quæ tamen nota inuri à Theologis possit, alij DD. judicabunt; nam Caietano tantum schola debet, homini aliqui de Republicâ Christianâ maxime merito, ut quod fieri per pietatem licet, parcere ei jure optimo, summiſque rationibus debeamus.* Hæc Canus jure merito. Idem Caietanus 1. 2. qu. 19. art. 6. docet, ad deponendum conscientiam vincibiliter erroneam, satis esse arbitrium ope-

rantis; quæ tamen opinio, ait Herinx tom. 2. d. 4. num. 18. censuratur à pluribus non tantum ut falsâ, sed ut periculosa; sicut enim arbitrium non est regula operandi, ita nec conscientiam deponendi. M. Cano lib. 12. de locis Theologicis cap. 14. ad ultimum argumentum, docuit Christum D. mortis tempore delectatione beatificâ caruisse; sed M. Medina in 3. p. qu. 46. art. 8. dixit esse novum dogma, & ut tale à Theologorum scholâ excludendum; & P. Suar. vocat tom. 1. in 3. p. d. 28. sect. 4. falsam, & temerariam; quam tamen sententiam vindicat, etsi non alieniatur, M. Godoy tom. 2. in 3. p. d. 32. n. 34. & sententiam Cane secuti postea sunt P. Val. len. P. Salmcron, P. Maldonadus. Nominales docuere visionem à solo Deo produci, ita ut anima Beati passivè se habeat; & Henricus in illapsu Divinæ substantiæ, & alij Doctores Parisienses apud Greg. Arim. in 2. dist. 7. qu. 2. docuerunt, beatitudinem formalem consistere in increatâ visione, & fruitione Dei Beatis communicatâ; quæ tamen sententiæ censurantur ab omnibus Theologis. S. Augustinus lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 33. & 34. videtur negasse, infernum esse locum corporalem, licet hoc retractaverit lib. 2. Retractat. cap. 24. idem S. Augustinus pluribus in locis docuisse videtur, parvulos morientes cum originali puniri poenâ æternâ damni, & sensus; cui Janfenistæ adherent; attamen S. Augustinus dicitur à S. Bonav. à S. Thom. à Magistro, à Scoto, alijsque Scholasticis communissimè, qui ferè omnium sensus reddit oppositam, quasi certam, etsi Herinx tom. 2. d. 6. de Peccato Originali qu. 6. ob S. Augustini auctoritatem, illam dicat probabilem; idemque S. Augustinus defenditur à Caram. lib. 2. Theol. Mor. Fund. d. n. 1463. Beda lib. 5. cap. 13. docuisse videtur, quod omnes animæ, seclusis Ecclesiæ suffragijs, detineantur in Purgatorio usque ad diem judicij, cum tamen oppositum sit alienum à sensu Fidelium; quis enim velit morientem cum solo veniali torquendum usque ad judicij diem, nō minus ac qui post mille annos cum simili veniali morietur? M. Soto in 4. dist. 19. qu. 3. art. 2. in fine, sensit poenam Purgatorii non excedere decennium; quod etiam est contra communem Fidelium sensum, & Historias fide dignas. Hugo Victorinus relat. us à S. Bonav. in 4. dist. 22. art. 1. g. 1. innuere videtur, quod peccata semel remissa redeant, si iterum peccetur, cum tamen omnes Theologi in 4. dist. 22. & in 3. p. qu. 28. oppositum sentiant. Omitto plura facili ex DD. trahenda, cum hæc ad intentum sufficiant.

Ex dictâ

Ex dictâ inductione patet, verissimum esse, quod quilibet quâcumque doctus errare potest, & ideo M. Cano in exquisito opere de Locis Theologicis lib. 7. cap. 3. conclus. 2. dixit: *Non quacumque in Sanctis veteribus leguntur, sunt approbanda, etsi in Ambrosio, & Hieronymo legerentur, quia nonnulla tunc non erant adeo definita, ut nunc; & si illi in nostrâ aetate fuissent, quâdam aliter & facerent, & loquerentur. Quid? Quod in rebus quæque, quæ ad fidem attinent, Sancti nonnumquam errarunt.* Hæc M. Cano. Inde patet, ut advertit Lumbier in editione Latina in Prologo, & P. Card. tom. 4. disp. 1. cap. 13. ex eo quod aliqui primæ notæ Doctores aliquas ex damnatis docuerint, nullum hinc illis dedecus, eas enim docuerunt nixi fundamento viſo illis valde probabili; ut certè nullum hinc antiquioribus citatis Doctoribus, & nullum aliquibus SS. Patribus, contra quorum opinionem plura modò definita sunt. Quis enim Theologiæ Principem S. Thomam minori in pretio habeat, eò quod docuisse videatur Pontificem in voto solenni continentiae non posse dispensare, ut innuit 2. 2. q. 88? & de hoc videri potest insignis M. Petrus Maria Passerinus in suis tribus Tomis de *Hominum Statibus, & Officijs*, cum tamen constet Papam sæpe dispensasse. Aut quis minus apud se Angelicum faciat, eò quod plures opiniones, quas in Sententiarum Libris docuerat, in Summâ retractaverit, imitatus D. Augustini sapientissimum exemplum? atque adeo necesse est, ut vel in libris Sententiarum, vel in Summâ falsum dixerit, cum necesse sit alterum ex contradictorijs esse falsum. Quis S. Cyprianum, eò quod docuerit Hereticos deniq. baptizandos? contra quem S. Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. ait: *Quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, persolvens pacifico Episcopo, & Glorioso Martyri Cypriano, audio tamen dicere, eum aliter sensisse de Schismaticis, vel Hereticis baptizandis, quam postea veritas prodidit.* Hæc Augustinus, ostendens qua reverentiâ Sancti PP. colendi sint, etiam dum errant. Quis B. Alb. Magno, Gersoni, Paludano, Sylvestro, & alijs recitatis gravissimis Doctoribus vitio vertat, quod plura improbabilia, & erronea apud Scholasticos DD. passim quocumque in tractatu legenda, singulariter apud P. Card. tom. 1. d. 9. cap. 7. & d. 11. cap. 2. art. 2. & tom. 2. disp. 1. n. 80. P. Mendo in Statera, docuerint? Certè, ut prudenter M. Cano l. c. pag. mibi 446. postquam Caietanum Magistrum tuum infecutus est, quod non omni modo

stia de SS. Patribus locutus fuisset, subdit: *Ego non consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia.* Mirari ergo ingenia debemus, non insultare Doctoribus, qui aliquam ex damnatis docuerunt: neque enim cuique licet Maximo Ecclesiæ Doctori infallibilis Spiritus S. assistentia, quasi Romano Pontifici promissa est: & ideo præclare Emin. Aguirre tom. 1. in S. Anselm. d. 2. sect. 6. & tom. 3. d. 136. n. 13. exagitat eos, qui volunt certam dandam esse fidem ijs omnibus, quæ docuit S. Augustinus, vel S. Thomas, aut quilibet alius Ecclesiæ Doctor; & trahit celebre dictum ex Alphonso à Castro lib. 1. contra Hæreses cap. 7. dicente, *velle humanas (intellige Doctorum) scripturas in Divinarum ordinem commutare, hoc verius ego dixerim hæresim; quod faciunt, qui humanis scriptis dissentire impium autumant, perinde ac Divinis: qualis ego vidi in tantam insaniam devenisse, ut non sint veriti ad populum in publicâ concione hoc effundere: quisquis a B. Th. sententiâ disceserit, suspectus de hæresi est censendus.* Hæc Castro. Trahit etiam idem C. N. 8. Aguirre n. 37. S. Thomam 1. p. q. 1. art. 8. dicentem ex S. Augustino Epist. 19. ad Hieronymum: *Solis scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc deferre honorem, ut nullum Authorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissimè teneant, alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate præpollent, non ideo verum putent, quod ipsi ita senserunt, & scripserunt.* Et hæc tanè est Alexandri VIII. aperta mens, dum in suo Decreto damnat dicentem, quod *ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute tenere, & docere potest, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Legendus etiam est Em. Henricus de Noris lib. 2. Historiæ Pelagianæ cap. 10. qui ait, nullam SS. Patribus Hilario Arelatenſi, Vincentio Lirinensi, & ut alij etiam volunt, Joan. Chrysostomo, alijsque Græcis Doctoribus injuriam irrogari per hoc, quod dicantur sententiam Semipelagianorum asseruisse; id enim fecere, vel nondum morâ, vel pendente lite. Idem dico ego de Doctoribus, qui aliquam improbabilem docuerunt; idem enim fecere iudicando probabilem. Mirari ergo ingenia debemus, non autem insultare, ut dixi, illis, qui aliquam ex damnatis tradiderunt; neque enim quilibet Doctor Pontifex est: supra hominem, vel infra hominem necesse est, ut sit, quem erroris nebula non tangit. Quare licet quoad punctum opinionis damnatæ nullus earum Author audiendus sit, nam quoad illud, per sententiam Papæ damnantis eam opinionem, eorum autoritas imminuta est, non tamen

C. Agui.

Castro.

N. 8.

S. Th.

S. Aug.

C. de

Noris.

N. 9.

G tamen

tamen fit, ut etiam quoad alias opiniones non damnatas audiendi non sint, nam quoad illas non minuitur autoritas. Hoc mihi certum, quod sepe (præcipue à Summistis, quorum plurimum expedita sine attentione lectio est) attribuitur aliquibus aliqua ex damnatis, qui tamen docuerunt oppositam, ut videri potest in Amadeo, in P. Mendo, in Nicolao de Bois tr. pererudito, quo ab Alexandro damnatas explicuit, & suis quæque Authoribus adscripsit, & citatur à P. Arisdekin pag. mibi 93. Idem præstitit P. Joan. Pollenter, in tom. cujus titulus est, *Sexagintaquinque propositiones a SS. D. N. Innocentio XI. proscriptæ, a Societatis Jesu Theologis diu ante SS. Domini Decretum communissimo consensu rejectæ*.

N. De qualificatione propositionum non tantum tractant T. T. Scholastici, ubi de Fide, sed etiam qui de Inquisitione scripserunt: ita Paramus, Carena, Bordonus, & alij: & in Indice librorum prohibitorum, ubi agitur de librorum correctione §. 2. ponuntur propositionum genera, propter quas liber expurgatione indigere potest; sunt autem propositiones, hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ, blasphemæ; hæ enim sunt censuræ, quibus Pontifices inurere solent propositiones, quas damnant, & eas Theologi colligunt ex Conc. Constantinensi sess. 8. in qua articuli Joannis Wiclephi, & sess. 15. in qua articuli Joannis Hus damnantur; & ex Bulla Leonis X. contra Lutherum, & ex Bullis Pij V. & Gregorij XIII. contra Baium. De his censurarum speciebus latè tractant P. Suar. d. 19. de Fide sess. 2. C. de Lugo d. 20. de Fide sess. 3. P. Oviedo contr. 12. de Fide pun. 4. Herinx d. 9. de Fide à n. 94. P. G. Hurt. d. 10. de Fide diff. 6. P. Petrus Hurt. d. 81. de Fide, P. Arriaga d. 20. de Fide, Canus lib. 12. de locis cap. 8. P. Ripalda tom. 3. d. 1. sess. 7. 8. 9. doctissimè, & alij passim.

Propositio digna censurâ Theologicâ non est nisi illa, quæ aliquam cum doctrinâ fidei oppositionem habet; quare non omnis propositio falsâ, & improbabilis est digna censurâ Theologicâ, ut patet in Philosophiâ, & Mathematicâ, alijsque scientijs, sub quibus plures propositiones falsæ, & improbabiles latent, nec tamen dignæ sunt censurâ Theologicâ. Quia autem opinio diversam habere potest cum objecto revelato oppositionem, nempe vel immediatè, & directè, vel mediatè, & indirectè, ideo diversas censurarum species Theologi invenerunt, ut diversos oppositionis cum doctrinâ fidei,

aut morum revelatâ gradus exponerent; quas censuras inhærens communiori explanationi, non enim omnes in eadem conveniunt explanatione, breviter exponam.

Hæretica est, cujus contradictoria est immediata, & expressè revelata, & de fide. An autem, ut propositio dicatur hæretica, requiratur pertinacia in proferente, ut vult Filgu. in Censurâ pag. 60. Cano, Caictanus, & alij apud P. G. Hurt. mihi magis placet oppositum cum P. Suar. n. 5. Koning. d. 8. de Fide n. 128. & alij, requiri quidem pertinaciam, ut proferens dicatur hæreticus, non autem, ut ejus dictum dicatur hæreticum, nam à quocumque dicatur hæc propositio, *Deus non est unus*, est immediatè contra objectum revelatum. Ad hæreticam reducuntur propositiones Judaicæ, Gentiles, & Aethiæ. Vide P. Koning.

Errorica, cujus quinque modos adducit C. de Lugo d. 20. de Fide, & ex eo Filgu. pag. 64. cit. cujus contradictoria non est quidem immediatè de fide, est tamen mediâtè, quatenus est conclusio Theologica, quæ negari non potest, nisi negetur, vel una præmissa de fide, vel alia naturaliter evidens, ex quibus ea conclusio Theologica infertur. Ita P. Carden. tom. 4. diff. 1. n. 136. Herinx n. 94. P. Oviedo, & uterque Hurtado, & M. Godoy citandus.

Hæresis proxima est, quam plerique ex gravi fundamento hæresim putant, & oppositum censetur à plerisque de fide. Ita ijdem.

Errori proxima est, cujus contradictoria plerique putant esse conclusionem Theologicam. Ita ijdem cum M. Godoy tom. 2. in 3. p. d. 22. n. 25. & d. 31. n. 17.

Hæresim sapiens est, quæ, vel est suspecta in fide, vel dat fundamentum suspicandi hæresim in Authore, vel ex quâ per consequentias moraliter certas deduci potest hæresis. Ita C. de Lugo, P. G. Hurt. Herinx, Filgu.

Malè sonans est, ex P. Suar. P. Oviedo, Herinx, P. G. Hurt. quæ duplicem habet sensum, alium Catholicum, alium hæreticum, & sine limitatione proferitur, immò in circumstantijs, quibus potius sensum hæreticum præfert.

Piarum aurium offensiva est, ex C. de Lugo, quæ nihil falsum continet, includit tamen aliquid indecens, aut modo indecenti in materiâ religionis: duplex autem est, ut dixi ex P. Ripald. tom. 3. contra Baium d. 1. n. 9. & n. 58. & d. 2. n. 19. eamque supra adduxi d. 2.

Temeraria, juxta D. Thom. 2. 2. q. 53. art. 3.

Amad.
P. Men-
do, de
Bois.

P. Aris-
dekin.
P. Polle-
nter.

N.
10.

Param.
Carena,
Bordon.

Consta.

Leo X.
Baius.
P. Suar.
C. de
Lugo,
P. Oviedo.
Herinx,
P. Gasp.
Hurtad.
P. Arri-
aga.
M. Can.
P. Petrus.
Hurt.
P. Ripa-
lda.
N.

11.

N.
12.

Filgu.

M. Can.

C. Caie.

P. Suar.

P. Kon.

N.

13.

C. de

Lugo,

P. Card.

P. Oviedo.

P. G.

Hurt.

P. Petrus.

Hurtad.

M. God.

N.

14.

C. de

Lugo,

P. G.

Hurt.

P. G.

Hurtad.

P. G.

Hurt.

P. G.

Hurtad.

P. G.

Hurt.

P. G.

Hurtad.

P. G.

Hurt.

P. G.

Hurtad.

P. G.

Hurt.

P. G.

Hurtad.

P. G.

Hurt.

art. 3. ad 2. quæ sine sufficienti ratione docet aliquid contra torrentem omnium Theologorum; potest autem, ut bene ait P. Carden. tom. 1. d. 46. n. 276. propositio temeraria sumpta præcisè pro propositione opposita communi Theologorum sensui, successu temporis fieri probabilis, imò certa, quatenus apparere potest grave fundamentum antea non apprens. Hinc Sapientif. Episc. & M. Godoy tom. 1. in 1. p. d. 13. à n. 80. postquam retulit censuram temeritatis, quæ aliqui damnant sententiam affirmantem, possibilem substantiam creatam, cui sit connaturalis Visio beata, à quâ censurâ eam sententiam alij RR. immunem faciunt, quia licet ea sententia ab Antiquis tradita non fuerit, non tamen ab illis negata fuit, adeoque ea sententia, nec est iuxta, nec contra Antiquos; & ideo ad temeritatem non satis est, ut non sit iuxta, sed debet esse contra torrentem omnium TT. antiquorum, & modernorum; merito tantus vir ab omni censurâ abstinuit, ait enim: Quantum ad censuram sententiæ affirmantis iudicet alius. Adeo verum est, modestiam summæ sapientiæ comitem esse, sumque sine dubio Angelicum Doctorem imitatus est, de quo dixit Caiet.

S. Tho. Caiet. 2.2. qu. 184. art. 4. Ideo omnium Sacrorum Doctorem intellectum quodammodo sortitus est, quia illos summè veneratus fuit: ex quo celebri dicto colligo venerationem, & modestiam exquisiti intellectus signum esse.

N. Scandalosa est ex C. de Lugo n. 99. P. Suar. n. 19. P. Oviedo n. 60. P. Card. tom. 1. d. 9. cap. 20. art. 1.1. & tom. 4. disp. 1. n. 147. quæ docet aliquid præbens alijs occasionem ruinæ, juxta definitionem scandali ex S. Thom. 2. 2. qu. 43. at juxta P. G. Hurtad. est, quæ ex sua naturâ dat offendiculum erroris in materiâ fidei, aut morum, ait Herinx, & Filgu. aut malè suspicandi de fide dicentis, ait P. Arriaga n. 13. sed meliùs P. de la Fuente disp. 1. qu. 2. n. 7. quæ per modum dictaminis, & securæ doctrinæ præbet occasionem ruinæ in materiâ morali. Lege eundem P. de la Fuente, ubi egregiè paucis plura complectitur.

Schismatica est, quæ sine hæresi promovet schisma.

Seditiosa est, quæ est apta ad excitandos tumultus, etsi essent contra Principes sæculares.

N. Blasphemia est, quæ contra Deum, aut Sanctos injuriam continet.

17. Ex dictis censuris, & qualificationibus maior omnium est hæretica; erronea est minor quàm hæretica: hæresi, aut errori proxima, & hæresim sapiens, est minor quàm Tom. I.

erronea: malè sonans est minor hæresim sapiente: temeraria minor malè sonante, quia hæretica magis opponitur objecto revelato, nam immediatè opponitur; quò minor enim est oppositio, quam opinio habet cum objecto fidei, eò minor est censura; & quò maior, eò maior, ait P. G. Hurt. Certum autem est eandem opinionem mereri posse plures censuras, ut patet ex Concilijs, & Bullis, quæ eandem propositionem damnant pluribus censuris.

P. Gasp. Hurtad.

SECTIO II.

Quid prohibeant Decreta, & quandonam violentur?

SUMMARIUM.

Decreta Alex. VII. & VIII. & Innoc. sunt prohibitoria: Vetant sub gravi: Quid? n. 18. 19.

Non omnis damnata continet materiam peccati mortalis, n. 20.

Vetatur disputatio propugnandi, non impugnandi causâ, n. 21.

Damnata potest praticari, vel ei assentiendo, & tunc semper est mortales; vel ei dissentiendo, at tamen conformando illi praxim, tunc autem non semper est mortale, n. 23.

Rationes, n. 24. 25. 26.

Quo peccato peccet praticans? n. 27.

Non vetatur praticare sub excommunicatione, vetatur docere, n. 28.

Innocentius precipit, ne controversæ inter TT. opiniones censurentur, & notentur, n. 29.

Quid per hoc velit? n. 30. 31.

An improbabilitas sit censura Theologica? ibid. & 30.

Moderatio D. Thomæ in refutandis contrarijs opinionibus, ibid.

Singularis opinio aliquando potest, & debet sæpe censurari, ibid. & n. 31.

Casuum moralium libri vulgari idiomate inconvenientes, ibid.

Alex. VII. damnavit, quod omnis opinio libri moderni sit probabilis, ibid.

Acutum Caram. dictum de TT. qui ab indolis leguntur, ibid.

Quid opinio communis, & an utraque opposita talis esse possit? n. 32.

Insigne dictum Ochami in eos, qui suam opinionem extollunt, n. 33.

Sapiens dictum M. Bannez in facile censurantes, n. 34.

Facilitas censurandi est à difficultate discurrendi, n. 35. 36.

Censurans peccaret contra obedientiam, n. 37.

P. Ultima diximus de Decretis Pontificijs, N. quatenus declarativis, modo necessario loquens.